

capti, vel detempti sint et quicunque sint, sive capti fuerint per ipsas partes vel gentes ipsarum, vel per singulares personas, seu stipendiarios ipsarum partium et eujuslibet earum, sive etiam si fuerint detempti in virtute seu potestate ipsarum partium vel quarumcumque singularum personarum cuiuscunque conditionis et gradus sint, libere et sine aliqua redemptions, exactione vel impedimento quoconque reali vel personali relaxentur, liberentur et expediantur et restituantur pristine libertati infra tempora prout inter dictas partes extiterit ordinatum. Successive cum guerre, lites, discordie, questiones et controversie verterentur, verti sperarentur et in futurum verti possent inter prefatum serenissimum dominum regem ex una parte et dictum Comune Venetiarum ex altera, super eo quod prefatus serenissimus rex Hungarie dicebat buccas flumium Gulfi ad se spectare et pertinere, et quod sibi et suis subditis licebat libere et impune ad dictas buccas et in eis navigare, intrare, et exire, imittere et exportare sal et alias quascumque merces pro sue libito voluntatis, sicut et quemadmodum in aliis partibus dicti Gulfi habet, sic eciam dicebat habere a Pultmentorio et ab Arimino exclusive versus Venecias, nec dicto Communi Venetiarum competere jus prohibendi ipsi domino regi vel ejus subditis introitu et exito dictarum buccarum cum quibuscumque navigiis, rebus et mercibus. Ac eciam diceret ipse serenissimus rex quod ad aperiendum dictas buccas et libere permittendum ipsum dominum regem et suos subditos dictas buccas et quamlibet earum intrare, exire, immittere, et extrahere erat et est Commune Venetiarum eidem expresse et specialiter obligatum vigore pacis alias facte et firmate inter dictas partes, de qua apparent publice litere ipsorum dominorum regis et ducis date regie vide-licet Jadre millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo, die XVIII februarii, et ducis die XXV februarii. Ac eciam vigore juris communis et multis aliis rationibus et causis. Ex adverso vero prefatum Comune Venetiarum diceret dictas buccas ad se pleno jure spectare, ibique legitimate competere jus prohibendi et vetandi dictas